sentirent, non solum autem arma ad pugnandum, sed ad decorem et ostentationem regii fastus. 0699

Quamvis autem distinctio fiat 3. Reg. VII. inter domum regis et domum saltus Libani, quidam tamen expositores dicunt, fuisse unam, sicut et ego credo. Quod autem hic fuerit domus illa regia, satis videtur Scripturae sacrae consonum, quae frequenter dicit, reges Jerusalem de domo regis adscendisse in templum. Patet Jeremiae . . , quod non potest intelligi de domo et palatio regis montis Syon, in qua habitavit David et Salomon ante templi aedificationem, cum mons Syon altior sit templo, a quo fit descensus in templi locum, quamvis et de templi atrio semper fuerit ascensus per gradus in ipsum templum. Sed de illa domo, de qua nunc loquimur, est ascensus aliquantus in templum. Stetimus ergo et murum ingentem mirabamur et colloquebamur de his. 0697 0703 0693 0708 0688 0748 0648 0798 0598

Porro in summitate rupti muri est quidam magnus quadratus lapis, semotus a loco sui ordinis, ita quod singulariter eminet in cornu muri. Hunc lapidem, quia jam supremus est et singulariter videtur, fabulantur illum esse lapidem, de quo habetur psalmo 117. et Matthaei 21.: Lapis, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli. Nam dicit Nicol. de Lyra, quod in aedificatione templi quidam lapis pluries oblatus fuit manibus aedificantium, et nullibi poterat convenienter poni, ideo reprobatus fuit. Sed dum murus deberet muro conjungi per lapidem angularem et capitalem, non est inventus lapis aptior, quam ille reprobatus. Dicitur similiter de ligno, de trabe ligni sanctae crucis, qui etiam fuit in aedificatione illius domus abjectus, ut patuit fol. 178. 0198

Videtur tamen mihi, quod lapis ille, quamvis fuerit angularis, non tamen caput anguli, cum murus multo altior monstretur fuisse. Ende

Perspecto muro ab extrinseco ducente nos Judaeo contra ipsum murum adscendimus per ruinas usque ad murum, et ibi unus de magnis quadris maxima vi avulsus est ex muro, ita, quod foramen est per parietem ad intra in Nethotam. Curvavimus ergo nos, et unus post alium ingressi sumus, et primo nihil penitus videre poteramus, quia oculorum natura est, ut post solem umbras intrantibus coeca omnia videantur. Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;